Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26214
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Ecce enim cernimus quam ad correptionem nostram expectatus ymber ab arente terra suspenditur. et caligosus aer in ardescente sole siccatur. mare procellis tumescentibus seuit et alios ad transmeandum susceptos intercipit. aliis desideratum iter terrena incumulata unda contradicit. terra non solum germina fecunditatis imminuit. sed etiam semina accepta consumit.

In quibus nimirum cunctis patenter aspicitur hoc quod quidam sapiens de domino testatur dicens. Et pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos. Orbis quippe terrarum cum domino contra insensatos pugnat. quando in pena delinquentium et elementorum aduersitas militat. Sed tamen de humo dolor non egreditur. quia res quelibet insensibilis ad afflictionem nostram stimulo nostre actionis excitatur. De humo dolor non egreditur. quia nequaquam pena de ea nascitur creatura que percutit. sed ea proculdubio quam peccando uim percussionis extorsit. Sed curandum magnopere est ut cum in rebus exterioribus pondere doloris afficimur spe ad superna tendamus. quatinus eo mens ad alta perueniat. quo nos exterior pena castigat. Unde et apte subiungitur. Homo nascitur ad laborem. et auis ad uolandum. Ad laborem quippe homo nascitur. quia nimirum is qui accepta est preditus ratione considerat. quod ualde sibi sit impossibile ut hec peregrinationis sue tempora sine gemitu euadat. Unde bene PAULUS cum tribulationis sue causas discipulis enumeraret. adiunxit.

Ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus. Sed in eo quod caro flagellis afficitur. mens ad appetenda altiora subleuatur. PAULO rursus attestante qui ait. Et licet is qui foris est noster homo corrumpitur. tamen is qui intus est renouatur de die in diem.

Homo ergo ad laborem nascitur. et auis ad uolandum. quia inde